

XXXI.

Origo Piarum Foundationum apud Polonos Claudiopoli collectos Receptae
Unit. Religioni addictos sic se habet :

Posteaquam nostri Antecessores in Saeculo proxime praeterito Sedes suas in Transylvania, maxime Claudiopoli et Bethlenii fixissent, successu temporis ad summam miseriam redacti, sperabant succursum, sed vix spirabant, quare jam quiescentes nostri Antecessores varias Literales et Personales in exteris Oras peragebant Legationes, in quibus et per quas a Fratribus nostris Unitariis Con-Exulibus nris succursum emendicabant, hi nominati Fratres nostri consideratâ miserîâ nostra se per Literas et nuntios nostros Antecessores ad benefaciendum et succurrendum proclives esse declaravere: quare ut ex Literis eruere licet Illustrissimus Dominus quondam Achatius Tasiczki de Luclavice Praefectus Salis Fodinarum Bochnensium in Polonia, degens in Marchionatu Brandenburgico in Grisla fecit cessionem 8 millium Thallerorum A. 1710, 8. Julij. Hanc suam gratuitam piam Foundationem renovavit in A. 1711, 23. 7br. in Delezig Hamer, super addens duo millia Thallerorum, ut completè sit summa decem millium Thallerorum, quae concernebat juxta Fundatoris voluntatem Unitarios Hungaros, et Polonos Claudiopolitanos. Cujus Piae Foundationis partem aliquam Selt. Tria millia Thallerorum nominatus Mecaenas (in moneta Viennae Austriae non usuali, et ob id magnam in permutatione defalcationem patiente) per Nepotem suum Johannem de Tasiczki Viennam Austriae A. 1711 ult. Augusti transmisit ad manus Dnorum (tit.) Michaelis Simon de Desfalva, et Francisci Dimien nomine Status Unitariorum Viennae Austriae residentium, accedente tandem morte nominati Benefactoris septem millia Thallerorum non sunt exoluta. Nunc specificati Residentes Summam trium millium Thallerorum per permutationem multum defalcata explevere ad Summam quatuor mill. Rflorenorum, et elocavere ad Interusurium (tit.) Principi Michaeli Apafi, tunc Viennae Austriae commoranti prout Litrae Contractuales, desuper emanatae constanter perhibent, de A. 1711, 15. 7-br. Summae hujus 4 mm. Rhen. duo millia Polonicam concernebant Ecclesiam, sed quoniam haec Summa est in Bonis Apafiano-Fiscalibus ex mandato (tit.) Caroli VI-ti Gloriosissimi Imperatoris in Ao. 1728 pars est exoluta, remanent inexoluti

a parte Ecclesiae Polonicae Rhenen. mille, unde Interusurium quinque per Centum computando ab Inclyta Camera gratiose percipimus.

Commoti simili miseria nostri miseri status Fratres nostri unit. in Hollandia existentes, in subsidium nostrum ut promiserunt, ita etiam Viennam Austriae transmiserunt nostro Delegato Adamo Gejzanovio Flor Hollandicos 5444 — 16 Stufferos monetae Hollandicae, prout Literae Credentiales desuper emanatae, Libro Rationum inscriptae, constanter docent, de Ao. 1711 4. xbr. hoc tenore:

Literae Credentiales sunt tradendae Donis Gaun et Zankhonij Viennae Austriae habitantibus, quibus mandatum est tibi solvere valorem summae collectae continentis fl. 5444: 16, ut ex inclusis literis patet.

Copia Quietantiae. Quod ego infra scriptus vigore Assignationis Dni Vilhelmi Mostrick, ad Dnos Gaun et Zancckhoni, ex Amsterdam de dato 4. xbr. 1711 in valore monetae in Hollandia currentis 5444 16 stufferos in paratis exolutus sim, testor hisce in duplo extradatis meis Quietantijs, quarum utraeque habent vigorem unius Solutionis. Viennae Austriae 22. Januar. 1712.

Adamus Gejzanovius mpria.

Quam duplicem Piam Magnifici Dni Achatij Tasiczki de Lyclavice et Dnor Hollandorum Fratrum nostrorum Foundationem nostri Antecessores in Annis retroactis 1713, 1714 et 1715 (ut eorum manu scripta docent) in certum ordinem redigere volentes omnibus expensis, et erogatis calculatis, exolutisque effecere, Summam Capitaalem Flor. Hungar. 7400 „

His sic praemissis ad mentem Gratosi Rescripti Suae Mattis Sacratissimae Quid fundatum sit in Ecclesia Polonica Unitariorum Claudiopolitana? Duplex Summa superius specificata.

Quantum? Faciebat Summa Capitalis Piarum harum Foundationum (ut dictum superius) Fl. hung. 7400 „. Verum ob varias temporum injurias, et Summae Capitalis (ob Debitorum insufficientiam, et mortis interventum) Cassationes, ingredientiasque in Erogationes ob proventuum defectum, urgentibus pauperum Fratrum, et aliis necessitatibus Summa Capitalis multum defalcata est et deemtata.

Qualiter? Demonstrant Literae Piorum Fundatorum de-
super emanatae, quarum Formalia in meritis Legati Conditiones
concernentia sic sonant: Primum M. Achatij Tasiczki de Luclavi-
ce Piae Legationis conditiones sunt sequentes ut impendatur pro-
ventus in perpetuum usum primario ministri su-
„stentandi causa in Ecclesia Polonica, ac in ea
„instituentiae Juventutis Gratiâ, tum in usum Orpha-
„norum, Viduarum, et eorum, qui jam victum ne-
„queunt elaborare sibi.

Dominorum Fratrum Hollandorum Piarum Legationum condi-
tiones in Literis expressae hujus sunt tenoris: Ne hae pecu-
„niae convertantur ad aedificationem, aut restau-
„rationem aedium Sacrarum, vel ad Salarium concio-
„natorum, sive in aliquem alium usum cujuscunque
„generis; sed ut solummodo collocentur in fundum
„certum, cujus proventus annuus totus impendatur
„in sustentationem pauperum Ecclesiae vestrae et
„caeterarum Ecclesiarum vestrae societatis in aliis
„locis Transylvanicis Exulantium, si ejus usus
„eiusque possit extendi, quod vestrae pruden-
„tiae, et benignitati commendatum volumus.

Per quem? Piae hae Foundationes fundatae per Magnificum
D. Achatium Tasiczki de Luclavice, item Honorandos Fratres Hol-
landos, utrosque Unitariae Religioni addictos.

Quo fine? Demonstrant Literae tum nominati Mecaenatis
Magnifici Domini Achatij Tasiczky de Luclavice, tum Honorando-
rum Fratrum Hollandorum, ut descriptum.

Quidvè illud annuatim importet? Nunc plus,
nunc minus, prout tempora sunt fertilia, et Debitores ad solven-
dum Interusurium sunt aptiores. Anno praesenti 1754 Diebus 6,
7, 8 Januarii Ratio omnium Proventuum Senioribus Ecclesiae no-
strae praesentata est, cujus Summa faciebat Hf. 277 „ 24. non
tam ex annuo Interusurio, quam Restantiis quoque Annos praeter-
lapsos concernentibus. Accurata Summa Proventuum, quae juxta
Leges ex Capitali Summa annuatim sequi deberet, percipi non po-
test, cum haereat Summa Capitalis et sine fructu, vel Interusurio
apud multos Debitores, aut incapaces ad solvendum, aut ob alias
rationes vi contractualium Literarum exemptos cum obtinuerint
fundos ob debita occupatos sub hac clausula, ut non pendant In-

terusurium, solum Summam Capitaalem, et quidem annuatim per partes.

Utrum de securitate ejus sufficienter provisum sit? Juxta Honorandorum Fratrum Hollandorum voluntatem defuisset Pia illorum Fundatio in Fundum certum collocari, cujus annuus Proventus totus impenderetur in sustentationem pauperum Ecclesiae, quod quoniam tunc de repente fieri non potuit, ad Interusurium pecuniae sunt elocatae.

Ex Summa praeattacta in Bonis Apafiano-Fiscalibus sunt Rh. mille, Interusurium gratiose quinque per Centum computando evolvitur ab Inclyta Camera.

Adhuc in Anno retroacto 1713, 3. Aprilis juxta Contractuales Venerabili Ecclesiae Unitariorum Claudiopolitanae in natione Hungarica tunc templum magnum (ut vulgo vocatur) Cathedrale possidenti in mutuum nostri Antecessores elocaverant Hf. mille, quae Summa a Curatoribus Ecclesiae praespecificatae est conversa in redemptionem Pagi nomine Korod ab Unitariis antea acquisiti, dum autem Domini Romano-Catholici Templum Cathedrale vi obtinuerunt, quod factum A. 1716, 30. Apr. Pagum quoque Korod applicavere cum Scholae Unitariorum et Bonorum Ecclae occupatione A. 1718, 2. Apr. frustra nostris suam praetensionem urgentibus, ab illo tempore ex Piarum Foundationum parte, Pauperibus destinata, nihil percipimus, solummodo tantorum damnorum recordatione cruciamur, Unitarij Hungari depauperati ad solvendum sunt incapaces bonis suis exuti, Possessores vero Domini Romano-Catholici ad pauperum subsidium missis ex Piis Unitariorum in exteris Regnis habitantium Foundationibus redemptis Fundo, et ejus Proventibus fruuntur.

Residua pars Piarum illarum Foundationum est elocata ad proprias Obligationes, item ad Obligationes Fidejussorum, Fundorum, Domorum, Vinearum, Agrorum etc. Pars minima ad Cleodia, hinc saepe sequitur damnum Capitalisque Summae imminutio.

Quo item census et beneficia harum Foundationum conversa fuerint et convertantur? Ab antiquo in usus et levamen pauperum Fratrum et Sororum, pars aliqua in Salarium ministri, juxta Legatum Mecaenatis Achatij Tasiczki de Luclavice et Honorandorum Fratrum Hollandorum Unitariorum: Juxta quorum praespecificatorum Benefactorum volunta-

tem in Literis expressam nunc quoque Ecclesiae Seniores sunt Dispensatores Piarum jam Descriptarum Foundationum.

Haec omnia bona fide ad normam Gratosi Rescripti Majestatis Vestrae Sacratissimae Dnae Dnae Nostrae Clementissimae nos Vestrae Mattis Subditi obsequentissimi Ecclae Unitariae Polonicae Claudiopoli collectae Seniores ex Piorum Fundatorum, et Majorum Nostrorum documentis Literalibus sic exscripsimus, sigillo usuali Ecclesiae nostrae pro majori authentia munivimus, et per ordinarium Ecclae nostrae notarium extradeditimus, parati de his omnibus Literalia documenta producere, si Majestas Vestra Sacratissima gratiose voluerit.

Datum Claudiopoli,

A. 1754. 25. Julij.

(L. S.)

Per Alexandrum Ajtai
Eccl. Unit. Pol. p. t. Notarium

mpria.

Csaknem hasonló volt a viszony a 17-ik évszázban a lengyel és magyar unitárius ekklézsiák, s a 18-ik évszázban a hollandi és magyar unitáriusok közt ahoz, a minő ma az angol és magyar unitáriusok közt létezik. Akkor több híres tudós lengyel unitárius jött bé iskolánk mellé, s emelte iskolánk fényét, tekintélyét. A hollandi atyafiak pedig, ha kellett, pénzbeli áldozatokkal jöttek segélyünkre; hozzájok ment tudományos ifjainkat ellátták élelemmel, studiumaikhoz szükséges könyvekkel, segédeszközökkel, s midőn onnan haza jöttek, könyveket adtak nekik további tanulmányaikhoz és úti költséggel látták el. A fennebbi okmány is a hollandi atyafiaknak és egy lengyel unitárius, Tasiczki Ákosnak, a kolozsvári lengyel unitárius egyház iránti nemes áldozatkészségéről tanuskodik. S mert a lelkes régi fénynél új szövétneket gyűjt, érdekesnek látam ez okmányt a maga eredetiségében közölni. Az okmány és annak tartalma hitelességére nézve semmi kétség nem foroghat fenn, miután azt épen az Ajtai Sándor sajátkezű kézírata után közlöm, a ki a kolozsvári lengyel unitárius egyháznak jegyzője volt.

Közli **Simén Domokos.**